

451

449

455

445

460

440

500

400

550

350

Ende

Anfang

440

in Mastrum oppidum et de Mastro in Tarvisium urbem devenimus,  
et ingressi hospitium statim equum pro me comparaverunt illi  
mercatores, in quo cum eis crastina contra Alemanniam procede-  
rem. Tarvisium, quam M. Antonius nominat Taurisium, est una  
de vetustis urbibus, ante incarnationem Domini aedificata anno  
1141 a quibusdam Trojanis, et abluitur Silecie sive Silo fluvio, qui  
de montibus exit urbemque dividit. Haec Gothorum temporibus  
suam, quam habet dignitatem obtinuit, nam Totilae pater ibidem  
sibi sedem constituit et Totilam filium, virum postea praestantis-  
simum, genuit, educavit et nutritivit, et propterea ab ipso tota  
regio Marchia Tervisana nominata est. Eam postea Albanus, pri-  
mus Longobardorum rex, cum ei tardius ditionem fecisset, di-  
ruere constituerat, nisi Felix, ipsius urbis episcopus, regis ferocita-  
tem sua prudentia delinisset. Haec multas sustinuit calamitates  
sub jugo diversorum tyrannorum, quae etiam quondam sub domo  
ducum Austriae fuit, tandem autem se ad Venetos contulit, qui  
hodie ibi dominantur. De hac civitate fuit Benedictus XI., ex  
humillima et vili familia, qui juvenis ingeniosus Venetiis pueris  
grammaticam legit, post hoc Tarvisum reversus ordinem nostrum  
ingressus fuit, devotioni et studio vacans, et in brevi in virum  
doctissimum evasit; assumptus autem fuit gradatim per omnes or-  
dines et ecclesiae dignitates, quoisque cathedram Petri ascendit.  
Hoc audiens mater ejus paupercula venit salutare filium papam,  
mulieres autem caeterae induerunt eam sericis vestibus ob honorem  
sedis apostolicae, quae cum sic ingressa esset, interrogavit, quae  
haec foemina esset? Et audito, quod esset genitrix, dixit (**B**):  
mater mea, inquit, ignorat sericum, pauper habet palliolum, matrem  
cupio videre, non dominam. Haec audiens exivit, et consuetis  
induta fuit legalissime a papa suscepta. Multa bona inchoavit  
ille papa in ecclesia, sed non vixit nisi IX mensibus, et post  
obitum miraculis claruit.

Ecclesia fratrum in Tarvisio est solemnis valde, quam ipse  
aedificavit, et dicitur, quod uno die XII episcopos fratres sui  
ordinis fecit. Duces Austriae ad rehabendam hanc urbem vehemen-  
ter adspirant, quae noscitur eorum fuisse ex insigniis eorum; nam  
in urbis praetorio contra plateam stant arma ducum Austriae, cli-  
peus cum casse ornata cauda pavonis, ad quam Veneti lapide  
sculperunt leonem, qui elevata cauda posteriora ostendit caudae

